



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros
partitum**

Laymann, Paul

Moguntiae

9. De peccato Acedio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

dum verò iustitiæ aduersatur, & ad contumeliam spectat; quæ omnia in confessione exactè perpendenda. Nam in faciem maledicere, duplex peccatum contra Charitatem & iustitiam. Est mortale si gravitas materiæ & deliberatio. Interdum sine contumelia. V. C. absenti & sine honoris læsione maledicitur: estque vnum interdum in faciem sine animo, quasi id euenire oportet; estque tanto grauior contumelia, (si fiat erga parentes, &c. Exod. 21.

Denique interdum ex impatientia superior inferiori maledicit. Estque veniale, v. c. auferat te Diabolus, sed non ex animo: sed si quis seipsum diabolo deuoueat, mortale ob fœditatem, horrorem, ac peruersitatem rei. 441.

CAP. IX.

De Acedia.

ACedia est tristitia de bono diuino à nobis participando, quod propter obtinendi vel consecrandi difficultatem, nobis malum videtur, & idcirco nimis in teporem & ignauiam cadit. Nam licet bonum in Deo per se, nec per participationem bonum odisse nec de eo tritari potest, tamen quatenus eius acquisitio cum corporis labore coniuncta est, carnisque oblectationem impedit, concipi tristitia potest per accidens. Quapropter acedia nō est aliud, quam tristitia animi de gratia Dei acquirenda vel conseruanda, seu de gloria cœlesti obtinenda per actiones nostras cum labore iunctas. Est ex genere mortale, quia Charitati Dei repugnat, si voluntas languidè resistat, veniale. 441.

Est inter vitia capitalia, quia ex eo tanquam tardio de spiritualibus oritur horror & conuersio ad Creaturam

turarum amorem, & illicitas delicias.

Præterea adhærent acediæ, tristitiæ noxiæ, quæ virtutibus singulis aduersantur: scilicet, si quis tristeretur, quod orare debeat, &c. Verum huiusmodi acediæ diuersa peccata non sunt ab iis, quæ opponuntur virtutibus, de quarum bono aliquis tristatur. Idcirco tali acedia nunquam peccatur, nisi cum virtutes sub præceptum cadant.

N. Expelli acediam non fugiendo, sed resistendo, atq; opus salutis fortiter aggrediendo propter suauitatem virtutum. 442.

CAP. X.

De Inuidia.

Inuidia dicta à nimis videndo siue intuendo in prosperitatem alterius.

Definitur Inuidia tristitia de bono alieno, quatenus id malum inuidentiis æstimeretur, tanquam propriam ipsius Excellentiam imminuens: proprium Pusillanimorum.

Est ex genere mortali, quia opponitur Charitati, cuius actio est gaudere de prosperitate proximi.

Nota; Tres sunt Affectiones tristitiæ. 1. Indignatio siue Nemesis, per quam bona temporalia inopiis & indignis obuenire tristamur, & tristitia vitiosa, si considerentur bona, prout absolutè proximi sunt, vel vt ex ordinatissima Dei voluntate propter certum finem indignis obueniant. Nam tenemur gaudere sic de proximi bonis, & Dei voluntati nos conformare. Psalm. 36.

Si autè tristeris, prout indigno, humana potestate
contra